Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2543
Quelle:
Copyright:

dunt esse dimissa. De Autore *Richardo* quod dicam, non habeo, nisi quod *Anglum* putem; video enim apud *Fabricium*, *Tannerumque* hujus nominis quendam Canonicum Reg. *Londinensem* Tractatum *de Poenitentia*, alium *Doverensem* Tractatum *ad Sacerdotes*, tertium dictum *Magnum* seu *Wethersbed* opus *Poenitentiale* seu *Summam Sacerdotalem* reliquisse. Certiora e Codicum plurium collatione pendent. Aevum tamen partim ex iterata *Corporis Decretorum* citatione, partim inde elicio, quod *fol.* 9. p. 2. narratur: *Terra ierosolimitana modo merito peccatorum nostrorum a salatino vastari.* Unde *Richardus* vix ante penultimam Sec. XII. Decadem scripsit. Finit ille: *Ecce de statibus hominum et de doctrina sacerdotum breuiter dicta sufficiant* &c.

II. *fol.* 13. Sine nomine Autoris Κατηχησις Liturgica de omnibus divinis Officiis et Ritibus in Ecclesia, Choroque per anni decursum observari solitis, incipiens a *Septuagesima* hoc modo: *Quare LXX. celebratur? Ideo ut quemadmodum populus dei qui pro suis peccatis in babylonia que interpretatur confusio detentus est captiuus sub numero septuagenario. quo numero completo reuersus est in jerusalem. que interpretatur visio pacis. ita et nos* &c. Ultima Quaestio: *Quare lectio cessat in completorio?* Autorem nostrum sua ab *Amalario Fort.* mutuatum esse conferenti patet.

III. *Fol.* 31. Poema de Virtutibus Herbarum ἀκεφαλον, uno, ut videtur, mulctatum folio. Lucem primum vidit *Neapoli* 1477. 4. sub *Aem. Macri* nomine, non sane *Macri* illius *Ovidio* συγγενοῦς, cujus Scripta, ut notum, diu intercidere, sed Barbari cujusdam *Walafrido Strabo*, qui a. 849. obiit, posterioris; in Articulo enim de *Lubistico* sive *Ligustico* nominatim *Strabi* in *Hortulo* de hac Planta dicta rejicit. Adi magni *Halleri* nostri *Bibliothecam Botanicam* T. I. L. 3. p. 215. ubi plura de Nostro, ejusque Editionibus. *Veneta per Bernardin. de Vitalibus* 1508. 4. quae mihi objacet, pro *Macri* nomine *Marci Aemilii* nomen manu adjectum habet. Alii ad *Odonem* quendam referunt. Nobis incipit Poema ab his versibus:

Adde meri tantum quo possint cuncta recundi (recondi)
Tota nocte mero facies maceretur in illo &c.

qui ad Articulum de *Asaro* pertinent. Sequitur de *Abrotano*, *Allio*, *Absinthio*, *Aloe*, *Apio*, *Atriplice* &c. ubi in Edit. *cit. Artemisiam Abrotanum*, *Absinthium*, *Urtica*, *Allium*, *Ruta* &c. excipit. Itaque Exemplaria non conveniunt; putem tamen Autorem primitus Alphabeti ordine processisse. Codex noster in *Sinapi* abrumpitur hoc versu:

Mansum confirmant adipi tundendo uetusto.

Le-